¶ Tertia conclusio. terra habitabilis, necessario habet permixtionem aquarum supra et infra ipsam. ꝓbatur. animalia non possunt esse sine plantis: qꝛ plāte sunt cibus animaliū: nec plante sine aqua. igit ⁊c. Ideo virtus celi facit terram esse perforabilem: et spongiosam sicut seminator suum agrum: et ortolanus suum ortum: vt aqua possit intrare per terram et currere intra venas eius in auxilium generatiōis mineratum: et ad humectandum radices plantarū: et ad exeundum extra terram maxime in summitate montium ad humectandum montes et calefaciēdū riuos et flumina ad irrigandum terram: ad hoc vt generatio animaliuz atqꝫ plantarū existere possint. Et iste vene aquarum currentium intra corpus terre propter maiorem vtilitatem ⁊ operationem debent esse diuersificate: et aque similiter secundū oppositum: ita ꝙ quedam sit grossa: et quedā subtilis: ⁊ quedam longa: ⁊ quedam breuis: quedam mota sursum: et quedam mota deorsum: sicut etiam dicit de montibus ꝙ quidam est magnus: et quidam paruus: quidam strictus: quidam latus: quidam albus: et quedam niger. ¶ Quarta conclusio. aque incorporate fere habent ortum a mari mediterraneo: et recursum ad ipsum. patz quoniam virtus celi debet imprimere et operari in terra: sicut laborator in agro qui vidēs campum inaquosum: habentem aquam circa se facit fossatum grande per medium: et alia fossata minora que vadant per agrum respondentia illi: vt defendatur et preseruetur, ager quantum est possibile: cui si aqua fuerit opportuna accipit de fossato spargens per campum in modum pluuie: ita, virtus celi ꝓpter habitationem terre discooperuit terraz mittens intus a mari magno circundante terram vnuz grande brachium maris: qđ dicitur mediterraneum quia transit per medium terre: vt terra cum sit arida et sicca inde possit humectari: in qua terra sunt etiam flumina generata a riuis gradientia ad istud mediterraneum mare: et hoc ab omni parte mundi scilicet orientali. occidentali. septentrionali. et meridionali: vt vnaqueqꝫ res habeat suum oppositum. ⁊ ne lacus generentur suffocantes terrā. Ab isto ergo mari implentur vene terre: et ex venis generantur riui: et ex riuis flumina caput facientia in eodē mari: vt verificetur vniuersale illud dictum: flumina egrediuntur a mari: et ingrediuntur mare: et secundum istam viam continuatur tota aqua mundi. ita ꝙ mare non augetur: neqꝫ flumina deficiunt. Et si q̄ratur quomodo fiunt a mari flumina cū aqua fluuiorum sit dulcia: et aqua maris salsa? Dicitur ꝙ aq̄ maris est salsa propter solem euaporantem subtile dimittendo grossum. Que inueniens terram spongiosam et cauernosam virtute celi graditur p ipsam purificationem aquam et retinentem salsedinem. ex quo sequitur ꝙ aqua illa fit dulcis et egrediens facit riuos et flumina dulcis aque irrigātis terrā ⁊c.

¶ Mare mediterraneum transit per longitudinem terre: quod mare ab occidente in oriens est incipiēs ab oceano. Et aque tam montiū ꝗ planicierū a magno vel mediterraneo sunt mari: et ideo terra cooperta aquis est impossibile habitari. Caput. xix.

De ortu maris mediterranei

De ortu maris mediterranei ⁊ de augmento aquarū super terram est aliquid dicendū: ponendo primo istam conclusionem. Mare mediterraneum transit per longitudinē terre: et non per latitudinē. probatur. Mare mediterraneū est ordinatum a virtute celi: propter vtilitatem terre: sed maiorem vtilitatem tribuit per longitudinē ꝗ per latitudinem: igitur ⁊c. maior patet ex eo: quia maior est longitudo terre habitabilis ꝗ latitudo eiusdem quod declaratur sic. Sol dans habitationē in terra facit vnam viam trecentorum sexaginta graduum in suo motu ab oriente circungirando terram vsqꝫ ad aliud mare vbi iterum se reperit in oriente: sed hec via est maioris quantitatis per longum ꝗ per latum: igitur ⁊c. Minor iterum arguitur. Latitudo istius vie est a circulo cancri vsqꝫ ad circulum capricornij: quia sol non egreditur circulum cancri: quando vadit versus septentrionem: nec circulum capricornij quando vadit versus meridiem: neqꝫ circuit terram circūcirca per istam viam. sicut facit per aliā que est ab oriente in occidēs: sed facit sicut trāsiens per viam aliquam: qui quandoqꝫ vadit per mediū ipsius: quandoqꝫ per extremitates: quādoqꝫ ab vna parte: ⁊ quādoqꝫ ab alia: nō tamē egreditur ad eundem per campos. Et per mediū istius vie ab oriēte in occidens transit circulus equatoris declinans a circulo cancri viginti tribus gradibus: et. li. minutis s̄m sententiā Ptolomei: qui circulus est ab vno latere istius vie versus septentrionē ad modū vnius fossati. ⁊ circulus capricornij: qui est ab alio latere descendendo versus meridiē in modū alterius fossati est declinatus in idem: igitur via hic celi per latum a septentrione in meridiē. xlvij. gradus. et. xlij. minuta: et per longitudinē ab oriente ad occidens trecenti sexaginta gradus: ergo maior est longitudo istius vie ꝗ latitudo: quod erat probandū. ¶ Secunda conclusio. Mare mediterraneum est ab occidente in oriens: incipiens a mari magno vel occeano. probatur. Istud mare transit per longitudinem terre: ergo rationabile est ꝙ incipiat a parte minus nobili progrediens ad partem nobiliorem: sed occidens est pars celi minus nobilis oriente: ergo istud mare incipit ab occidente ⁊ vadit versus oriens: veniens autem ad oriens tantum quātū necesse est debet reuolui propter maiorem vtilitatem vt occupet plus de terra: et vt flumina que veniunt ab oriente: ⁊ ab alijs partibus possint melius in ipsum ingredi: hec autem reuolutio caput ⁊ finem habere debet ad partem septentrionis que nobilior est parte meridiei. ¶ Tertia conclusio. Aqua continua montiū ⁊ planicierum a mari mediterraneo est originaliter ⁊ a mari magno. Ista conclusio patet ex eo: quia nō potest esse a pluuia vel niue: cum aqua habens originem a pluuiis solum ⁊ niuibus non continue duret. vt igitur principiū iungatur fini ⁊ perpetuo continuetur aqua in montibus ⁊ fluminibus super terram mare magnum plurimū abundans aquis existens graue super terram pellit mare mediterraneū intra longitudinem terre: mare autem mediterraneum reperiens terram spongiosam ⁊ porosam pellit partes eius vsqꝫ ad summitatem montiuz a quibus descendens facit perpetua flumina. Item virtus celi sollicita ad generationem more magnetis ferrum trahit a mari mediterraneo ad summitates montium propter generationem, ⁊ nutritionem plantarum et animalium: ⁊ quoniam nullum violentum est perpetuum: et iste motus est perpetuus oportet cōcedere aquam naturaliter moueri etiam

non declinando vacuum: nec hoc est inconveniens: quia motus talis est ab extrinseco passo conferente vim: concurrit enim ad motum hunc duplex agens extrinsecū scilz mare magnum: ⁊ virtus celi: ⁊ consequenter duplex passum confert vim naturalis inclinationis: scz passum quod est materia: ⁊ passum qd est forma: materia enim inclinatur ad motum propter generationē plantarum ex illa aqua: ad quam generationem motus ille a natura ordinatur: quēadmodum materia confert vim in motum sursum vaporum ⁊ exhalationū: forma etiam confert vim per inclinationē: quia naturaliter inclinatur moveri a statu imperfecto ad statum perfectum: sicut ferrum ad magnetē: modo aqua continue perficitur ⁊ subtiliatur transeundo per terram et per montes. ¶ Quarta conclusio. Impossibile est totam terram habitabilem esse coopertam aquis. probatur: si sic: aut igit a mari magno vel mediterraneo: aut a diluuio ex abundātia pluviarum: non a mari magno: quia centrum magnitudinis terre non potest fieri centrum mundi: cum illud a virtute celi terminetur supra mediū mundi: nec a mari mediterraneo: quia non crescit propter continuū defluxum aquarū ab ipso ad radices terre ⁊ summitates montiū: nō etiā a diluuio: quia lz interdum ex forti coniunctione stellarum oriatur fortissima ⁊ profundissima pluuia cooperiens aliquod clima: non tamen totam terram propter causam stellarum habentiuz significationē potestatem ⁊ dominiū magis in vno loco terre q̄ in alio. Ex ista conclusione sequitur si diluuium aque evenit propter maximā coniunctionē stellarum humidam ad purgandum vitia terre: ⁊ in mūdo nihil reperitur sine suo opposito: oportet expectare maximam coniunctionem stellarum siccam inducentem ignem in aliqua parte terre comburentem illam simul cum aere propter purgationez peccatoꝝ. Ideo sapientes illius patrie preuidentes coniunctionē illam pestiferam humidam vel siccam per scientiam stellarum si euadere voluerint debent ab illo loco recedere.



¶ Terra habitabilis congrue est diuisa in septem climata que diuisa sunt ab oriente in occidens per longitudinem habentia initium ⁊ numeratione ab equatore ad septentrionem: quorum maius id dicitur aliis quod immediatius est equatori. Caput. xx.

P Ro declaratione dictorum venio ad diuisionem climatum

ponēdo primo istam conclusionē. Terra habitabilis seu discooperta aquis est congrue diuisa in septem partes quas climata vocamus. probatur: septem planetis diuisum est celū signorum in septem partes: in quibus habent potestatem ⁊ dominiū inequaliter: igitur a fortiori septē planetis diuidenda est terra in septem partes quibus inequaliter dominētur. patet consequentia: et antecedens arguitur. nam saturnus qui est dominus capricorni ⁊ aquarii habet in illis maiorem operationem q̄ in aliis signis: et Juppiter qui est dominus sagittarii ⁊ piscis etiam habet in his maiorem operationem q̄ in aliis: ⁊ consequenter sol habet maiorem operationem in leone q̄ in alio signo: ⁊ ita de aliis suo modo. ¶ Secunda conclusio. Septem climata sunt diuisa ab oriente in occidens ſm longitudinem: ⁊ non a septentrione ad meridiem ſm latitudinem: ita q̄ quelibet climata habent vnum caput ad oriens: ⁊ aliud ad occidens: non autem vnū ad equatorem: ⁊ aliud ad septentrionem. probatur: perfectio vniuersi consistit in variatione ⁊ oppositione rerum: vt vnuz per aliud cognoscatur: sicut est calor ⁊ frigus: amarū ⁊ dulce: temperatū ⁊ distemperatum: igitur climata non poterant esse eiusdē modi: sed fuit necessarium q̄ vnum esset temperatū et aliud distemperatū. Et si inuenitur clima faciēs homines albos: per oppositū est necessariū q̄ inueniatur clima faciens homines nigros: que omnia reperiuntur diuidēdo climata per lōgitudinē ab oriente in occidens: diuidendo autem per latitudinē a septentrione ad meridiem omnia quasi sunt eiusdem modi: quia omnia essent a latere equatoris habētia semper equalitatem dierum ⁊ noctium similitudinē gradualem frigiditatis ⁊ caliditatis omni anno bis.

estatem et hyemē: colligerentqȝ frumentum et vinū et essent omnis equalis in bono et malo. ¶ Tertia conclusio. climata habent initium et numerationē ab equatore ad septentrionem. Ideo ꝙ primum clima est a latere equatoris: et reliqua omnia degradādo procedunt vsqȝ ad septimum: quod in vltima habitatione versus septentrionem. probatur. Illud qḋ est nobilius propter suam temperātiam ꝙ aliquod aliud: rationabile est ꝙ sit caput et dicatur primū: et alia numerentur ab illo: sed circulus equatoris est terminus latitudinis omnium climatum. igitur dignum est ꝙ numeratio climatum incipiat a latere equatoris. ¶ Quarta conclusio. Primum clima scilicet quod ponitur a latere equatoris omnibus aliis dicitur esse maius: probatur: illud clima dicitur esse rationabiliter maius in quo maior bonitas et vtilitas reperitur: sed in primo climate maior bonitas et vtilitas reperitur: igitur illud est maius. patet consequentia cum maiori: quia in maiori corpore ē maior virtus: et plus influit: celum in maiori ꝙ in minori corpore: et minor arguitur: quoniam in illo loco ē summum temperamentum propter equalitatē dierum et noctium caliditatem et frigiditatem ibi est abundantia rerum: quia colligunt bis in anno: et cōsequenter ibi homines debent esse magis diuites et sapientes et maioris vite. ¶ Ex predictis sequitur primo ꝙ terra non est circulariter discooperta aqs: quia cum medium in circulo sit maius extremis. primum et vltimum clima essent minora aliis: sed est piramidaliter vel triangulariter discooperta aqua a virtute celi faciētecessare aquas illo modo: vt primum clima esset aliis maius. ¶ Secūdo sequitur ꝙ cum terra sit discooperta versus septentrionem mare videtur cōprehendere fines primi climatis a parte meridiei ab oriente ad occidens. Ideo Alphagranus posuit mare comprehendere illud quod pertrāsit terminos primi climatis a parte meridiei. et non sunt ibi multe habitationes. ¶ Tertio sequitur ꝙ saturnus est dominus primi climatis: quia saturnus est primus planetarum cum sit altior et habet maiorem spheram aliis: igitur dignum est ꝙ habeat maius et primum clima. Deinde saturnus: quia est laborator terre ad colligendum fructum requirit magis temperatum locum terre: huiusmodi autem est primum clima. ¶ Quarto sequitur ꝙ iupiter est dominus secundi climatis et mars tertii. et sic consequenter: quia non apparet ratio: quare primo planete attribuitur primum clima: quin secundo planete secundum clima: et sic per ordinem vsqȝ ad finem. Et si ex his arguitur saturnum esse nobiliorem sole: quia habet nobilius clima: negatur cōsequentia. qz cum toto hoc non operatur saturnus super suum clima nisi cum auxilio solis. et non econtra: sicut prima intelligentia est ceteris nobilior: quia licet habeat spheram appropriatam sibi: tamen mouet omnes alias virtute cuius omnes alie intelligētie suos mouent orbes.

¶ Inductio forme in materia essentialiter depēdet a virtute celi sine qua impossibilis est elementorum mixtio. Et quodlibet ex illis genitum a tali virtute dirigitur: ac etiam terre dispositio bona vel mala fit ratione illius directiui. Cap. xxi.

Quoniam mundus

iste inferior essentialiter depēdet a mūdo superiori iuxta sententiam omnium sapiētum tam naturalium ꝙ mathematicorum: ideo de omni dependentia tam mixtorum ꝙ elementorum est consequenter dicendum ponendo primo hanc conclusionē. Quelibet generatio vel inductio forme in materia essentialiter dependet a virtute celi: probatur: sicut se habet cera ad figuram sigilli: ita materia ad virtutem celi: sed impressio et forma cere essentialiter depēdet a figura sigilli. igitur etc. Patet consequentia cum minori: quoniam cera nunꝙ esset figurata supra figura animalis: plante domus vel castri. nisi sigillū sua figura imprimeret illam formam. maior autem est euidens sufficienti similitudine: quia sicut ad figurationem cere quattuor agentia essentialiter ordinata concurrunt scilicet imprimens sigillum motus et figuratus ad informationem materie necessario quattuor agentia concurrunt essentialiter ordinata. s. intelligentia celum motus celi et virtus eius que est significatio. et representatio rei faciende: et ex his venimus in noticiam primi motoris cognoscendo potentiam et magnitudinem eius: sicut venimus in noticiam artificis qui fecit sigillum. ¶ Secunda conclusio. Impossibilis est elementorū mixtio absqȝ virtute celi. probatur: elementa sunt contraria tam secūdum qualitates motiuas localiter ꝙ alteratiuas igitur mouērtur ad sua loca contraria et ab inuicem elongarentur nisi per virtutem celi inuicem approPinquarent: et miscerentur. sicut aqua et lapis: pro generatione calcis aut aqua et farina pro generatione panis nunꝙ inuicem miscentur: nisi eis applicaret motor extrinsecus illam faciens mixtionem. ¶ Tertia conclusio. Quelibet res generata ex elemētis habet supra se virtutem celi sui directiuam et conseruatiuam: patet: nam quelibet res generata ex elementis solueretur et destrueretur per motum elementorum ad loca propria: nisi illa per virtutem aliam preseruaretur que non videtur esse nisi virtus celi. sicut edificator habens facere suam operationem recolligit et vnit simul arenam calcem ligna et lapides ad faciendum domum: que quidem preseruatur ab edificatore et ruit deficiente illo. ¶ Quarta cōclusio. cōueniens et disconueniens dispositio terre est ex bona et mala dispositione celi. Ita ꝙ si celum in aliqua parte est bene dispositū: pars terre que est subiecta illi ē bene disposita. et si celum in aliqua parte est male dispositum etiam pars terre subiecta illi est male disposita: ideo vno anno est egritudo et epidimia i bobus et non in capris. Alio vero anno ecōuerso: quia Thaurus habens significationem supra boues illo anno se habet male: et alio anno bene. Capricornius vero significans capras illo anno se habet bene et alio anno male. ¶ Consimiliter dicatur de plantis ꝙ anno quo determinata virtus celi que habet regere et operari super suam plantam stabit bene: et illa sua planta bene se habebit. et si virtus se male habebit: et planta etiam male stabit. ideo vno anno sunt multe ficus: et pauce vue: multa olera et pauce fabe. multū frumentū: et paucū miliū. Alio vero anno ecōtra propter alias virtutes celi habētes augmētū. et bonā dispositionē sup plātis primitus male dispositis. ¶ Ex predictis sequitur primo ꝙ aurū argentum lapides pretiosi vna cum plantis et animalibus presupponunt virtutem celi: preter virtutes elementorum. quia elementa sine virtute celi nullam facerent generationem mixtorum. sicut nec farina panem cessante aqua: nec sigillum impressionem in cera deficiente figura: ideo corrumpuntur mixta quia deficit in eis hec virtus celi: que perpetuarentur sicut astra: si ab illis nunꝙ separaretur virtus illa eodem modo: sicut anima respectu corporis. ¶ Secundo sequitur omne mixtū preter formam substantialem esse cōpositum ex quinqȝ essentiis: scilicet quattuor elementis: et virtute celi quam sapientes vocant quintā essentiam: cui mixto vnūquodqȝ componentium dat operationem plus et minus secundum exigentiam sue potentie. Ita ꝙ ignis dat calefacere: aqua frigefacere: aer humectare: et terra desiccare. virtus autem celi dat preseruationem et tanto nobiliorem operationem: quāto celum est nobilius elemētis. ¶ Et propter istam causam inuenimus calamitam virtute elementorum infrigidare et desiccare. et virtute celi que est in ipsa ad se trahere ferrum: smaragdus autem virtute elementorum facit operationes consimiles operationibus elementorū. sed virtute celi que est in ipso necat vnum genus serpentium: scilicet nigrorum: nō autem

non autem alborum. Item alique herbe: ⁊ aliqui flores virtute celi mouẽtur reuoluti versus faciem solis: ⁊ aliqui non: sicut etiam acus qua reguntur naute per virtutem celi trahitur ⁊ reuoluitur ad stellã que vocatur tramontana. facte sunt etiam per virtutem celi et stellarum ymagines sub certo ascendẽte: que loquebantur ⁊ impediebant dracones in posa ⁊ serpentes: sicut etiam dicitur ꝙ columne herculis dabant responsa.

¶ Necesse est aliquam mineram alicuius esse coloris: ⁊ aliquam diuersorum: quia in diuersis sũt locis plante quoq; nedum substantialiter: verũetiam accidentaliter est opus distingui: in fructibus taliũ. si quasi saporum: aut colorũ est diuersitas: huius rei celum causa est. Cap. xxij.

Ad maiorem declarationem horum particularius descendendo sit hec prima conclusio. Necesse est aliquam mineram esse vnius coloris: ⁊ aliquam diuersorũ colorum. probatur: sicut est in arte sic ⁊ in natura. q: ars imitatur naturam inquantũ potest: sed artifex aliquando facit opus suum vnius coloris: ⁊ aliquando diuersorum colorum ad maiorem perfectionem ⁊ nobilitatem. Igitur etiã in natura virtus celi aliquando facit mineram vnius coloris: scilicet aurum ⁊ argentum. aliquando ex albo ⁊ nigro mixtum sicut calcedonium: aliquando vero guttatim ex multis coloribus vt iaspidem et porfidum. ¶ Secunda conclusio. necesse est aliquam minerã esse factam in vno loco. patet. quia inuenimus terram quasi totã mineratam. sicut campum seminatum. ⁊ causa huius est: quia corpus celi cum virtute sua non stat ociosum. Sed facit omnes mineras in terra: ex quo terra ex se nõ potest aliquid operari. Unde quelibet pars celi habet operari in terram suam operationem minere habens officium et dominiũ operãdi magis in vno loco terre ꝙ̃ in alio. Saturnus enim habet magis dominium in primo climate, ⁊ iuppiter magis in secundo: ⁊ mars in tertio. propterea inuenimus in aliquo loco mineram auri: ⁊ in aliquo mineram argenti: ⁊ in alio minerã saphyri. et in alio smaragdi: ⁊ in alio marmora nigra. ⁊ in alio alba: ⁊ in alio loco guttata ⁊ mixta coloribus: ad modum iaspidis de panthera porfidi.

¶ Tertia conclusio. necesse est plantas tam substantialiter ꝙ̃ accidentaliter esse. distinctas: patet: quoniam veniente sole sursum a loco in quo erãt inuenimus virtutem celi mouisse species grauium: ⁊ traxisse sursum humorẽ a terra ⁊ creuisse superius tãtum quantum est possibile plus ⁊ minus secundum exigentiam rei: ⁊ eis facit plantas ⁊ distinxit tantũ quantum est possibile more figuli figuras cere: ⁊ ex hoc inueniuntur plante diuersificate in radicibus ⁊ stipitibus. in ramis ⁊ floribus. in folijs ⁊ fructibus. in colore ⁊ odore: ⁊ in sapore ⁊ magnitudine: in paruitate in mollitie ⁊ duritie ⁊ in omni variatiõe que magis rationabiliter potest excogitari. Et quia accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum ꝙ quid est: distinguimus eas substantialiter vnicuiq; suum nomen imponendo: ita ꝙ aliqua vocatur cedrus: aliqua pinus: aliqua fraxinus. aliqua pirus. aliqua malum. aliqua rosmarinuz. aliqua salvia: aliqua menta. ⁊ quedam habent vnum nomen: ⁊ quedam aliud: ⁊ quedam sunt herbe. ⁊ quedam arbores. ¶ Quarta conclusio. celum est causa diuersitatis colorum ⁊ saporum eiusdem plante. vel fruct9. patet: quoniam virtus celi generans ex elementis plantam: sicut sigillum figuram ex cera trahit sursum humorem ex terra faciens stipitem ramos. flores. ⁊ folia. incipiens inducere formam pomi in vno pede sabtilissimo trahendo humorem ad intra ex corpore terre portandoq; illum super stipitem et super ramos quousq; induxerit perfecte formam pomi: tamen magis et minus secundum potentiã suã. Et quia intelligentia celi more optimi artificis non solum diuersa: immo idem vt ostendat potentiam diuersimode operatur. aliquando in eodem fructu ponit siccum ab vna parte: et humidum ex alia: vt fructus ille dulcis et amarus in diuersis partibus reddatur secundum ꝙ videmus in persico partem amaram intus: factumq; inde nucleum ⁊ partẽ dulcem de foris factamq; inde pulpam et partem duram terrestrem positam in medio inter vnam ⁊ aliã contrarium autem reperimus in nuce: scilicet dulce intus: et amarum extra. sed in pomo ranceo ponitur pars frigida acetosa intus. et pars odorifera extra. ¶ Ex his patet primo. quare inueniuntur plãte maxime et altissime et habentes folia et poma multum parua: sicut quercus et alia. Et per oppositum reperitur planta ꝓpinqua terre breuis ⁊ multum subtilis habens folia lata faciens pomũ suum maximum: sicut cucurbita, et alia: quoniam virtus celi dat prioribus plantis habendo humidum a dominio: alijs autem humidum aqueum. Secundo patet: quare lactuca est frigida et humida in secundo gradu. et porrũ calidum in medio tertij gradus: q: virtus celi miscens elementa simul pro forma lactuce dat illi multum de aqua ⁊ paruz de igne miscens autem pro forma porri dat illi plus de igne ꝙ̃ de aqua tantum quantum est possibile: ⁊ hoc formaliter vel virtualiter.

¶ Specifica animalium distinctio a specifica partium celi distinctione oritur. Et animalia partium diuersitas ex diuersitate partium signorum celi: colorq; in animalibus est per coniunctionem planetarum: licet diuersitas partiũ in animalibus sit ex diuersitate partium celi. Cap. xxiij.

De animalibus consequenter per comparationem ad celum est dicendum: ponẽdo quatuor cõclusiones: quarum ꝓ̃ma est ista. distinctio specifica animaliũ est a distinctione specifica partium celi. ꝓbatur. Ita dependet animal a celo sicut cera figurata a sigillo: sed aliud ⁊ aliud sigillum producit aliam ⁊ aliam figurã in cera: igitur alia ⁊ alia pars figurata celi producit aliam ⁊ aliam speciem animalia. patet consequentia cum maiori. ⁊ minor declarat. Nã sigillum figuratum figura hominis producit in cera formam hominis et figuratum figura leonis inducit in cera formam leonis. ⁊ sic de alijs figuris animalium igitur pariformiter signum capricornij in celo debet inducere formam capre in materia: et signum thauri formam bouis in materia. ¶ Et si ex his concluditur species animalium terre nõ esse plures ꝙ̃ sint signa celi. aut ꝙ animalia terre deberent esse ita magna sicut animalia celi: negatur cõsequẽtia: quia sicut intelligentia celi eodem conceptu numero secundum diuersas cõuersiones cognoscit plura diuersarum specierum. Ita idem signum celi diuersis aspectibus ⁊ coniunctionibus planetarum significat et producit indiuidua diuersarum specierum. Et sicut bonus artifex eodem instrumento plura distincta specie et figura producit: ita intelligentia celi eodem signo diuersa in specie ꝓducit. ¶ De magnitudine autem dico ꝙ sicut pater non producit filium equalem sibi: sed minorem secundum exigentiam materie et matricis: ita animalia celi non producunt animalia terre sub tanta quantitate: sed sub quantitate conueniente terre ⁊ sue speciei sicut enim seminator habet semina secundum conditionem agri: et pastor oues secundum exigentiam campi: ita animalia sunt magna ⁊ parua ſm exigentiã terre. ita ꝙ non debẽt esse nimis magna: nec nimis multa: q: excederent terram: non etiam debent excessiue esse parua vel modica: quia tũc aliqua pars

terre esset ociosa: debent ergo habere magnitudinē ꝛ numerum secundum naturam suam ꝛ conditionē terre. Et quia plante sunt propter animalia: ideo ille etiam sumunt diuersitatem specificam a signis celi: vnde alique plante nascuntur in aquis: quia animalia aquarum pascuntur illis: et alique reperiuntur in terra: qꝛ animalia terre cibantur: non tamen eodem modo: qꝛ alique herbe prosunt alicui animali que alteri nocent: sicut herba luparia interficit lupos. canes: ꝛ vulpes: ꝛ impinguat oues ꝛ boues. ¶ Secunda conclusio. diuersitas partium animalis est ex diuersitate partium signorum celi: quoniā sicut sigillum alia ꝛ alia parte producit oculum ꝛ nasum in cera: ita signum celi habens significare equum diuersis partibus producit in eo carnem/ossa/neruos/corium, et pilos/et, sicut aliquod sigillum imprimit figuram cum crinibus: vel cū cauda. aliud vero sine crinibus vel sine cauda. ita aliquod signum celi producit leonem cum cauda: ꝛ cum crinibus. Simiā vero aliud producit sine cauda ꝛ sine crinibus: et talis diuersitas partium est propter diuersitatem finium asinus autem habet spinam arcuatam: vt sit fortis ad sustinendum pondus: ꝛ equus depressā propter habilitatem selle. ¶ Tertia conclusio. distinctio colorum in animalibus est a distincta significatione et coniunctione planetarum cum signis. patet: nam qꝛ aliquis planeta significat albedinem et aliquis rubedinem: ideo aliquod animal est albū: et aliquod rubeum secundum se totum: et qꝛ non reperitur in mundo vnum oppositum sine alio: ideo oportet reperire animal nigrum: ꝛ animal viride secundum se totum: ꝛ qꝛ planete significantes diuersos colores simul cum signis vniuntur interdum: ideo generātur animalia diuersorum colorum: ita ꝙ habent album in vna parte. et nigrum: vel rubeum in alia parte: et qꝛ aliqua signa sunt mobilia: et aliqua fixa ideo quia reperiuntur animalia plurium colorum mutabilia in illis: sicut equus et canis: oportet ꝙ reperiantur animalia diuersorum colorum immutabilia. in illis sicut sunt sciroli et lepores semper habentes colorē album circa ventrem: ꝛ rubeum vel nigrum in dorso qꝛ si vnum oppositū reperitur in natura: oportet ꝙ reliquū reperiatur. Unde ꝙ aliquis equus habeat album in fronte ꝛ residuum nigrum: ꝛ aliquis econtra: ꝛ consequēter de alijs partibus sic diuersis ꝛ mobilibus est causa assignanda. ¶ Notandū secundū dicta sapientum: ꝙ luna significat album: saturnus nigrum: et mercurius colores permixtos. ¶ Item signum arietis significat faciē ꝛ caput. Thaurus collum. ꝛ gulam. gemini spatulas et brachia. et in quadrupedibus crura anteriora. Cancer pectus. leo stomachum renes ꝛ cor. virgo intestina. libra nates an chas. Scorpio virgam sexum et testiculos. Sagittarius coxas. Capricornus genua. Aquarius crura. et Pisces pedes. Quādo ergo fiet conceptio equi luna significante album existenti forti in ariete per coniunctionem vel aspectum: ꝛ aries signans caput ꝛ faciem: si non fuerit impeditus equus ille nascetur cū albo in capite vel in fronte. si fuerit in thauro illud signum erit in collo vel in gula. Et si fuerit in geminis habebit ipsum i spatulis vel in cruribꝰ anterioribus. Et si fuerit in cancro habebit illud in pectore ꝛ sic potest in omnibꝰ. vbi autem fuerit in cācro absqꝫ impedimento ꝛ habuerit aspectum ad librā que habet significare nates ꝛ anchas: ꝛ ad arietē qui habet significare caput: ille equus habebit signa albi in capite: in pectore: in natibus: et in anchis: et ita suo modo dicatur de alijs coloribus secundum diuersas partes: vbi autem sit diuersitas colorum secundum aliquam determinatam et pulchram figuram triangularem vel quadrangularem concurrit mercurius. ¶ Quarta cōclusio. diuersitas situs partium animalis est ex diuersitate situs partium celi patet: quia non apparet causa quare vna pars est dextra: et alia sinistra in animali nisi ex diuersitate partium celi. scilicet septentrionalis et meridionalis: quarum prima est dextra et alia sinistra: sicut enī ibi figuratur vnus circulus ponens septentrionem a parte dextra celi: et meridiem a parte sinistra: ita in animali datur via quodāmodo circularis transiens per testiculos: et medium capitis ponens vnum testiculum dextrum et alium sinistrum: vnum brachiū dextrum et alium sinistrum: vnum oculum vel pedē dextrum: et aliud sinistrum: et ita de alijs partibus: sic ꝙ illa pars est dextra et fortior in quam influit septentrionalis. Et illa est pars sinistra et debilior in quam influit pars meridionalis. ¶ Ex ista cōclusione sequitur primo: ꝙ motus progressiuus animaliū est primo et principaliter ab oriente in occidens: patet: quia primus motus celi et est illo modo. Et hoc potest exemplariter sic probari. ponendo ꝙ sint duo equalis cursus. Sortes et Plato in eodem puncto sole existente in medio erit supra caput eorum: ꝛ moueatur sor. ab oriente in occidens. Plato econtra. et patet ꝙ sor. ambulabit plus de terra et recipiet adiutorium a celo et a sole: dante illi plus de die: et de luce sicut homo qui capit per manum et auxiliatur ei: qui concorditer tenet viam suam. Plato autem ibit minus et erit impeditus absqꝫ auxilio celi. quia mouebitur contra celum: et non concordat cum ipso: et maxime impedietur a sole citius illi dante noctem. ¶ Secundo sequitur ꝙ ortus et occasus animalium est secundum ortum ꝛ occasum signorū: patet: quia sicut animalia zodiaci quando procedunt ꝛ nascuntur ab oriente primo mittit caput foras ascendentia superius ad medium celi. Deinde procedūt descendendo inferius ad occidens mittendo caput infra terram. Ita animalia generata per coitū quādo embrio qui est in corpore matris tenet caput versus caput matris: et pedes versus pedes: et latꝰ dextrum versus latus dextrum stans totum in modum matris: tunc in nascendo est vna virtus influxa celi que facit ipsum reuolui in ventre matris: faciens ipsum mittere prius caput ꝙ̄ pedes. Postꝙ̄ autem natum est animal veniens ad orientem de tenebris ad lucem crescit ꝛ augetur vsqꝫ ad medium sui temporis: quod est sibi datū: deinde minuitur declinans caput inferius ad occasum: ꝛ hanc similitudinem recipiunt omnia generata ex elementis tamē perfectius ex perfectiori.

¶ Caliditas solis causa est exhalationis leuis calide et sicce in ventre terre. Et calida ꝛ sicca exhalatio existens in ventre terre est causa materialis terremotuum: ꝛ eadem est causa ventorum atqꝫ tonitruorum.

Capitulum. xxiiij.

IAm de impressionibus meteorologicis que generantur infra et subtus terram ad vtilitatem plantarum et animaliū est dicendum. et primo de impressionibus ignis ponendo quattuor conclusiones: quarum prima est ista. Caliditas solis est causa exhalationis leuis calide et sicce in ventre terre: patet. quia radij solares repertentes terram porosam intrant concauitates terre remittentes humiditatem ꝛ frigiditatem terre et aque inducentes caliditatem copulatam siccitati ad quam sequitur leuitas ignea: ꝛ huius signū est: qꝛ aliqñ apparent res leues supra terrā eleuari ab his exhalatiōibus exeūtibus subtiliter poros terre. vñ sicut in ventre aialis ita in ventre terre ex ꝯsimilibus causis gñant ventositates que dicūtur exhalatiōes calide ꝛ sicce. Et ex isto habetur causa gñationis ignis in terra ꝛ flāme et fumi extra terram: quia talis exhalatio mota per concauitates terre reperit mineram sulfuris: quam sua caliditate accendit et inflammat: cuius fumus ꝛ flamma consequenter exit per terram perforatam: ꝛ si generatio est tanta aut maior ꝙ̄ corruptio. et co[n]s

fumatio quam facit erit intra terram ignis sempiternus. Propter istam causam pullulat de terra aqua calida ex qua alicubi fiunt balnea: et quia aqua transcendendo per terram recipit naturam illius: ideo aliqua aqua sapit naturam sulfuris. aliqua alluminis. et aliqua est acerosa. Ita q mutatur in colore sapore pondere odore grossitie mollitie frigiditate caliditate: eadem causa contingit tempore hyemali aquam subterraneam esse calidam. et tempore estiuo frigidam. quia sol veniens super partes terre fortissime calefacit eam: inducens in concauitatibus per poros exhalationes: que euntes per terram et reperientes aquam calefaciunt eam: veniente autem tempore hyemali: porositates terre constringuntur: et remanet aqua calida infra terram: que tempore estiuo frigescit propter recessum exhalationum per poros eo tempore factos a sole: hoc experimentaliter est notum in fimo: qui bene calcatus et pressus calefit ab intra mittens fumositates exterius ad modum fontium et fluuiorum tempore hyemali: vbi autem materia sit rara: sic q fumositates et exhalationes libere exeant non generatur talis calor nec inflammatio. ¶ Secunda conclusio. exhalatio calida et sicca existens in ventre terre est causa materialis terremotuum patet. quoniam talis exhalatio inclusa in ventre terre mota a natura sua et a suo contrario: et a virtute celi preliatur cum terra vt exeat: quam si inuenit duram et solidam leuat eam sursum cum tremore faciens eam spongiosam et ingreditur exhalatio sursum. si autem inuenit terram arenosam et spongiosam exit extra absque terremotu. propter istam causam profundatur interdum magnum spacium terre et fiunt lacus per concursum aquarum subterranearum ad locum illum: et sicut potest destruere montem reducendo ipsum ad planiciem ita potest generare eleuatam terram: et talis mons necessario esset spongiosus. ¶ Tertia conclusio. exhalatio calida et sicca est causa materialis ventorum patet. quia exhalatio illa mota magno impetu a sua leuitate et a virtute celi versus mediam. regionem aeris si non fuerit potens penetrare illam repercutitur ratione frigiditatis a regione illa ad diuersas differentias positionum: ex qua repercussione etiam partes exhalationis se percutiunt in sursum et deorsum generantur venti. ¶ Intelligendum q. xii. sunt venti: scilicet iiii. principales inuicem distantes per iiii. puncta opposita celi. et viii. collaterales. primus ventus est orientalis flans ab oriente in occidens. cuius collaterales sunt duo: scilicet ab oriente in septentrionem: et ab oriente in meridiem. Secundus ventus est occidentalis flans e contrario scilicet ab occidente in oriente. cuius collaterales sunt duo: scilicet ab occidente in septentrionem. et ab occidente in meridiem. Tertius ventus est septentrionalis flans a septentrione in meridiem: cuius collaterales sunt etiam duo. videlicet a septentrione in oriens. et a septentrione in occidens. Quartus ventus est meridionalis flans a meridie ad septentrionem. cuius collaterales sunt etiam duo. videlicet a meridie in oriens: et a meridie in occidens. et dicuntur venti collaterales: quia sapiunt naturam principalium. ¶ Quarta conclusio. exhalatio calida et sicca est causa materialis tonitruorum et aliarum impressionum ignitarum. patet. quia existentibus in medio regione aeris vapore aqueo et exhalatione ignea propter contrarietatem inuicem preliantur. et crescente vapore super exhalationem inclusam in illo per antiperistasim intenditur et fortificatur exhalatio: que non potens ibi stare frangit nubem in partibus debilioribus magno impetu faciendo sonum quem vocamus tonitruum: et videmus flammam que dicitur coruscatio. Ex hac exhalatione generantur fulgura hincinde per aerem fugientia secundum fortitudinem et debilitatem sue contrarietatis cedendo fortitudini et fugiendo versus debilitatem: sicut homo fugiens huc illuc ab inimicis circum circa existentibus. hac de causa interdum fulgur intrat domum huc illuc discurrens propter fugam a suo contrario. et dissipat muros et lignamina in diuersis partibus percutiens et interdum hominem de familia: et quia habet materiem leuem et subtilem citius in aere percutit res altiores quam depressas: interdum vero in domum penetrans capsam vel bursam comburit ea que sunt intus absque lesione capse vel burse. ¶ Ex ista conclusione sequitur primo. q fulgur non est lapis genitus in aere in modum sagitte: quia lapis talis ratione grauitatis non moueretur ad omnem differentiam positionis: sed moueretur statim deorsum sicut grando que est minoris grauitatis. Fulgur enim mouetur ad omnem differentiam positionis: vt patuit. generatur tamen interdum talis lapis ex materia terrestri mota sursum vna cum vaporibus et exhalationibus preliantibus inuicem in media regione aeris. ¶ Secundo sequitur. q quanto fulgur ab alto descendit tanto debilitatur et quanto a loco propinquiori tanto fortificatur. sicut sagitta fortius percutit a loco propinquiori quam remotiori. ¶ Tertio sequitur. q licet eque primo fiant tonitruum et coruscatio: non tamen eque primo percipiuntur: quia coruscatio citius videtur quam audiatur tonitruum: et eo quia visio illic multiplicat subito speciem visibilem. audibile autem successiue ratione motus aeris qui non potest subito fieri: vidimus enim sepe percussionem ante auditionem soni non obstante q simul fierent sonus et percussio. ¶ Quarto sequitur. q aliquando percipitur tonitruum sine coruscatione scilicet propter grossitiem aeris vel nubium: et aliquando econtra percipitur coruscatio sine tonitruo. aut propter paruitatem tonitrui. aut propter distantiam aut propter impedimentum ventorum. quare etc.

¶ Dicatur igitur q ex eadem materia: scilicet exhalatione calida et sicca fiunt terremotus in ventre terre: venti autem in prima regione aeris tonitrua in secunda regione. in tertia fiunt comete lancee et columne ignite: ac etiam capre saltantes et stelle que videntur de celo cadere: ita q exhalatio habens impedimentum ad exitum in ventre terre. causat terremotum: et habens impedimentum a media regione causat ventum: intrans autem mediam regionem ad ventrem nubis causat tonitruum. si autem ingreditur primam regionem in magna quantitate causat cometam et alia dicta. quare etc.

¶ Necessario aer diuiditur in tres regiones. in infima ros/pruina et nix liquida generantur. In media vero pluuia nix et grando: impressiones tamen aquee non ex elementis principaliter: sed ex virtute celi fiunt. Cap. xxv.

Lia fumositas est vapor ex quo generantur impressiones aquee: ideo sit hec prima conclusio. ¶ Necesse est spheram aeris esse diuisam in tres tunicas: scilicet superiorem. mediam. et inferiorem. probatur. elementum aeris mediat inter ignem et aquam et terram. igitur habet vnam partem semper calidam illam: scilicet que semper recipit influentiam calefactiuam ab igne: et hec vocatur prima regio. siue prima tunica aeris. deinde habet vnam partem semper frigidam: scilicet illam que semper recipit influentiam frigefactiuam ab aqua et terra. et hec dicitur secunda regio: vel secunda tunica aeris. ¶ Item necessario habet vnam partem que aliquando est calida: et aliquando frigida per presentiam et absentiam solis: et hec dicitur tertia tunica vel tertia regio aeris: que est immediata terre et aque: hec enim tempore estiuo est calida: et tempore hyemali est frigida. pars ergo semper recipiens caliditatem ab igne est regio superior: pars in qua reflectuntur solares radii propter obstaculum terre est inferior: alia autem ad quam non attingit inflectio radiorum: neque multiplicatio specierum ab

elemento ignis est media regio. ¶ Ex his sequitur primo mediam tunicam vel regionem aeris nō esse perpetuo frigidam occasione vaporum ascendentiū ad illam: qꝛ vapor est humidus ꝛ calidus actione solis. igitur vapores illam calefacerent ꝛ non frigefacerent. antecedens est necessarium: qꝛ si vapor est frigidus ꝛ humidus non ascenderet sed descēderet. In signum huius cū infrigidatur in media regione disponitur ad descensum. est ergo dicendum ꝙ a speciebus frigefactiuis multiplicatis perpetuo ab elemētis frigidis ad illam regionem: illa regio est perpetuo frigida: ex quo non habet contrarium ab aliqua virtute calefactiua: radij enim solares transeuntes per mediam regionem aeris non calefaciunt eā propter nimiam remissam reflexionem ratione nimie raritatis: potest enim infrigidari ipsa media regio a maxima frigiditate que est sub polis: quoniā sol ibi non habet potentiam ꝛ continuo est ibi sex mensibus nox: quare ꝛc. ¶ Secūdo sequitur ꝙ regiones aeris non semper sunt equalis quantitatis: qꝛ tempore estiuo propter maiorem reflexionem radiorum infima regio est maior ꝛ media minor ꝙ̄ fuerit tempore hyemali. et secundum ꝙ augetur calor in terra auxilio stellarū: sic maioratur infima regio: ꝛ media diminuitur. Et ista est causa ꝓpter quam habemus vnam estatem calidiorem alia: ꝛ vnam hyemem frigidiorem altera: qꝛ stelle calefactiue auxiliantur solit vna estate ꝛ non alia: ꝛ stelle frigefactiue influūt magis vna hyeme ꝙ̄ alia. ¶ Secunda conclusio: in regione infima aeris generātur ros pruina. ꝛ nix liquida. ꝓbatur. Nam oriente sole in mane: ꝛ veniente ad medium celi calefaciendo aerem: ꝛ eleuando ex terra continue vapores humidos: ꝛ eo declinante ꝛ intrante sero sub terra: ꝛ aere ꝓcedente ad frigus noctis huiusmodi frigus inueniens vaporem parū eleuatum a terra coagulat ipsum faciens illum rorem in estate: ꝛ in hyeme pruinam: transeunte autē estate versus hyemem fortificatur frigus in nocte faciens quasi niuem liquidam. Potest tamen expedite dici ꝙ sicut aliqua exhalatio tenuis non potest intrare mediam regionem aeris: ꝛ ex illa generatur ventus si fuerit multa: ita est aliquis vapor debilis non potens penetrare illam regionem: ex quo de nocte generatur ros tempore estiuo: ꝛ tempore hyemali pruina. tempore autem intermedio nix liquida. ¶ Intelligendum ꝙ si aer est grossus vel nubilosus non generatur ros neqꝫ pruina: qꝛ tunc est magis calefactus a sole: ꝙ̄ quando est subtilis propter maiorem adherentiam ꝛ reflexionem. Ideo in nocte seruatur caliditas illa: que cum non habeat ex natura sua coagulare non generatur ros neqꝫ pruina: etiam flante vento impeditur generatio roris ꝛ pruine. propter siccitatem vel caliditatem inductam per ventum. ¶ Tertia conclusio. in regione aeris media generantur pluuia nix ꝛ grando. patet qꝛ illa est frigidissima habens causam generationis omnium illorum: vnde media regio non est vniuersaliter frigida: sed magis versus superiorem regionē ꝛ minus versus inferiorem. In prima ergo parte vapor penetrans conuertitur in pluuiā. In secunda parte propter nimiam frigiditatem conuertitur in niuē: que in descendendo aliquando propter suam raritatem a calore solis conuertitur in aerem. aliquando vero conuertitur in pluuiā. ꝛ hec est causa propter quam non habemus niuem in estate: sed bene in hyeme. In tertia vero parte adhuc frigidiori fit maior coagulatio: ꝛ generatur grando: que propter suam potētiam descendit absqꝫ resolutione totali in pluuiam vel in aerem: ꝛ hec est causa quare in hyeme non generatur cōmuniter grando: sed bene in estate: qꝛ in hyeme nunꝙ̄ mouetur vapor ad illam superiorem partem medie regionis ꝓpter debilitatem solis nō potentis tantum eleuare nisi auxilio astri calefactiui ꝛ attractiui: sed tale auxilium est raro: rotunditas autem grandinis prouenit ex confricatione aeris calidi in descensu. sicut lapis per flumen. ¶ Et ex isto sequitur grandinem aut pluuiam minutam significare descensum ab alto consumendo se propter fricationem aeris calidi. Ita ꝙ quāto de altiori loco ꝓuenit tanto erit minuta grando ꝛ rotūdior: econtra veniens a loco propinquiori erit grossior: ꝛ grando minus rotūda. ¶ Ex predictis sequitur primā niuē in hyeme esse in monte ꝛ non in plano ꝓtꝫ qꝛ nix genita in principio hyemis descendit per aerem frigidum ad aliquem montem frigidum: veniens autem ad planitiem reperit caliditatem resoluentem niuē in aerem: si fuerit modica: si autem multa resoluit in pluuiam: ꝛ hec est causa quare tunc videmus niuem in montibus ꝛ non in plano: sed veniente magno frigore in aere ꝛ in terra ex elongatione solis apparet nix in plano sicut in monte. ¶ Quarta conclusio. Impressiones aque non sunt principaliter ex elementis: sed a virtute celi. patet: quia elementa ex occasione contrarietatis non mouentur inuicem: sed recedunt ad locum contrariū: igitur est dare virtutem celi que moueat elementa ad se inuicem: vt huiusmodi impressiones generentur ad vtilitatem mundi: ꝛ dicit ꝙ saturnus qui est dominus aquarum mouet elemēta ad generationem omnium impressionum humidarum: sicut mars qui est igneus disponit elementa ad generationem omnium impressionum ignitarū: ꝛ inflammabilium. ideo sicut ros. pruina. nix. grādo. ꝛ pluuia sunt effectiue a saturno: ita terremotus venti: tonitrua. comete. ꝛ alie impressiones calide ꝛ sicce sunt effectiue a marte. ¶ Et ex istis sequitur ꝙ̄ ꝙ abundantia fames. pax ꝛ guerra ꝛ alia accidentia diuersa ſm diuersitatem temporum ꝛ locorum sunt principaliter a virtute celi mouente ꝛ disponēte hec inferiora. abundantia enim panis vini ꝛ fructuum est a saturno: pax et concordia hominum ꝛ animorū est a Ioue: fames autē ꝛ guerra sunt a marte disponente ad siccitatem ꝛ inflammante corda hominum ad effusionem sanguinis ꝛ vindicte. Nec ista semper sunt ꝛ vbiqꝫ: sed in diuersis locis ꝛ temporibus: iuxta fortitudinem ꝛ debilitatem dictorum planetarum. Nam vbi saturnus est fortis ꝛ non impeditus: ibi est abundantia. vbi autem est debilis ꝛ mars est fortis: ibi est fames ꝛ sterilitas. Et quando iupiter est fortis ꝛ non impeditus tunc est pax: quando autem est debilis: ꝛ mars fortis est guerra. ꝛ videbimus ad experientiam animos hominum successiue ad guerrā disponi: sicut successiue mars fortificatur. quare ꝛc. ¶ Motus celi est localis sine sono: ꝙ celum est quātum sine augmento ꝛ diminutione habēs luciditatem sine colore proprie dicto: cuius stelle oēs sphericé sunt.

Caput. xxvi.

Dicto de accidētibus

mundi inferioris: cōsequenter est dicendum de accidentibus mundi superioris sensibilibus proprijs ꝛ cōmunibus: ponēdo primo istam conclusionē. celum habet motum localem: sed non habet sonum. Prima pars est euidēs: quia celum mouetur ab oriente in occidens ꝛ a septētrione in meridiem. Secunda vero ostenditur. quia sonus non fit absqꝫ aere ꝛ percussione: sed in celo nō est aer neqꝫ percussio: sic nec durities vel mollities: eo quod iste sunt qualitates consurgentes ex qualitatibus primis: que in celo nullatenus reperiuntur. Itē in celo non posset esse sonus absqꝫ confricatione ꝛ violentia: ad quam tandem sequitur corruptio: que celo nullatenus potest inesse. ¶ Notandum circa primam partem conclusionis ꝙ motus localis quo celum mouet non est velocissimus possibilis: quia tunc celum ita velociter moueretur ꝙ non discerneretur dies a nocte: ꝛ non cognosceretur dies vel hora: neqꝫ astrologi colligere possent motū suū per instrumēta: nō est etiam tardissimus possibilis: quia tūc dies esset adeo magnus ꝙ non videretur habere finem: ꝛ similiter nox: ꝛ consequenter impediretur generatio.

quia sol moraretur in estate tantum supra terraz ꝙ
omnia adureret: ⁊ in hyeme nox esset ita lõga ꝙ om
nia propter frigus perirent. Quia igitur celũ est cor
pus perfectissimum sibi debet competere perfectissi
mus motus: sicut sibi competit perfectissima figura
vel quãtitas: ideo sibi competit motus medius in
ter velocissimum et tardissimum possibilem qui est
motus temperatus ⁊ vniformis: nam si esset diffor
mis non posset mensurari motus mũdi inferioris:
cum non foret regularis: ⁊ per consequens motꝰ in
ferior non dependeret essentialiter a motu superio
ri: quod est contra scientiam omnium sapientium.
Ut ergo mundus ordinate incedat: oportet celum
semper vniformiter ⁊ eodem modo moueri: saltem
quo ad tempus. quia quo ad subiectum difformiter
mouetur. velocius enim mouentur partes circunfe
rentiales celi q̃ centrales circa polos. ¶ Ex eodem
fundamento possumus concludere solem esse perfe
ctiorem alijs planetis: quia stat in medio. ⁊ Martẽ
ac venerem esse alijs. iiij perfectiores: quia sunt ꝑ
pinquiores soli. ⁊ lunam ⁊ saturnum esse alys imꝑ
fectiores: quia sunt remotiores a sole. ¶ Secũda cõ
clusio. celum habet quantitatem sed non augmen
tum vel diminutionem: prima pars est euidens. qꝛ
habet longitudinem latitudinem et profunditatẽ.
Secunda similiter. quia celum nõ posset augeri vel
diminui nisi per alterationem qualitatum prima
rum. sed talis alteratio non est compossibilis celo:
sicut nec generatio vel corruptio. igitur ⁊c. Unde vult
Aristoteles celum non posse moueri: eo modo quo
iam mouetur si aliqua stellarum efficeretur maior.
aut minor. Et si arguitur de sole luna ⁊ stellis que vi
dentur maiores in oriente ⁊ occidẽte. dicitur ꝙ hoc
est ratione vaporum qui continue eleuantur a sole
maiores ⁊ grossiores in oriente ⁊ occidente q̃ in me
ridie: nam in meridie propter magnam potentiam
⁊ virtutem solis faciliter resoluũtur et remanet aer
subtilis et clarus: in oriente vero ⁊ occidente propter
suam debilitatem fit modica resolutio: ⁊ consequen
ter manet aer plenus vaporibus grossus et obscu
rus: et in signum huius: quia tunc visus absq; impe
dimento radiorum soli directe respicit solem iudi
cans illum esse rubeum: radij enim solares multum
reflexi ⁊ refracti a vaporibus grossis representant
illum maiorem: sicut etiam denarius in aqua ma
ior videtur q̃ extra aquam. ¶ Tertia conclusio. ce
lum habet lucem: sed non colorẽ proprie dictũ prima
pars est euidens et secunda declaratur. quia color
proprie dictus cõsurgit ex qualitatibus primisꝰ que
non sunt in celo color tamen communiter dictus re
peritur in celo. eo modo quo loquitur Arist. secun
do de anima. quod color est primum obiectum vi
sus: et in libro de sensu et sensato ꝙ omnia corporea
colore participant: sic etiam dictum fuit planetas
colorari diuersis coloribus non proprie sed large:
quia nulla stella habet proprie colorem: sed solum
lucem receptam a sole que videtur esse diuersorum
colorum iuxta diuersitatem subiectorum recipien
tium illam sicut etiam lune vna pars videtur alte
ra clarior propter maiorem raritatem vel densita
tem repertam in vna parte q̃ in alia: sicut etiam
yris cum videtur esse diuersorum colorum propter
diuersam reflexionem radiorũ solis in diuersis par
tibus nubis roride. Et si dubitatur de causa ꝓpter
quam celum apparet azurei coloris non assignetur
vapor medius pro causa: quia per idem stelle appa
rerent azurei coloris: sicut apparet quodcunq; colo
ratum si inter ipsum et oculum ponatur vitrũ azu
rinum: sed dicatur ꝙ sicut ex duobus coloribus: quo
rum vnus est clarus. alter obscurus resultat artifi
cialiter color azureus: ita ex claritate solis ⁊ obscu
ritate quam visus reperit in profunditate celi non
terminante visum: vbi non est stella resultat appa
renter color azureus. Aqua enim videtur obscura
in magna profunditate vbi non terminatur visus
et clara: vbi terminatur visus. et sicut color azureus
artificialiter factus est clarior quando habet plus
de colore claro: ⁊ obscurior quando habet plus de co
lore obscuro: ita celũ de die videtur esse coloris azu
rini clari propter maiorem claritatem solis: et de
nocte apparet coloris azurini obscuri propter mi
norem claritatem solis. ¶ Quarta conclusio. queli
bet stella est figure spherice: sed non quelibet sphe
rica videtur. prima pars est nota: ex quo celum est
perfectissimum et figura circularis est nobilissima.
Secunda pars est sequens experientiam: quia stel
le orbis signorum angulariter videntur cum appa
reant cõtinue scintillare. Et hoc est propter magnã
distantiam facientem debilitatem et motum in ocu
lo radiorum venientium ab orbe signorum ad illũ
planete autem vt sol et luna habent propinquita
tem ad nos facientem formam in radio multiplica
to ad oculum: quanto enim res est distãtior ab ocu
lo tanto videtur sub minori angulo. et quanto pro
pinquior tanto apparet sub maiori. ¶ Sed dubium
est de venere que apparet aliquo modo scintillare: ⁊
hoc non est ratione distantie: quia tunc planete su
periores scintillarent: quod est contra experientiã.
Dicitur ꝙ perfectio mundi consistit in varietate re
rum tantum quantum est possibile: nam quia ali
quid est album. et aliquid nigrum. ideo aliquid est
quod non est album. nec nigrum scilicet rubeuz vel
pallidum: et quia aliquid semper mouetur: scilicet
celum. et aliquid non semper mouetur scilicet ter
ra: oportet aliquid esse quod aliquando mouetur:
et aliquando non mouetur scilicet lapis vel lignũ.
Item quia aliquid est clarum simpliciter. vt sol et
aliquid simpliciter opacum: vt terra vel lapis. opor
tet dare tertium inter ista quod sit aliquo modo cla
rum. et aliquo modo opacum: et hoc est luna. Ita
in proposito aliquod corpus luminosum simplici
ter scintillat. vt quelibet stella orbis signorum et ali
quod nullo modo vt sol et luna: ergo est dare corpꝰ
luminosum quod aliquo modo scintillet: et aliquo
modo non scintillet: et istud est venus. Causa autez
huius est: quia excessiua distantia vna cum paruli
tate quantitatis proportionata illi distantie est cau
sa scintillatiõis simpliciter corporis luminosi. ideo
stelle zodiaci simpliciter scintillant: temperata autẽ
distantia vna cum magnitudine quantitatis pro
portionata illi est causa non scintillandi aliquo mo
do ideo sol et luna mercurius. Mars. Iupiter. et sa
turnus nullo modo scintillãt: sed tẽperata distãtia
vna cũ paruitate q̃titatis disproportionata illi est
causa aliquo modo scintillandi et aliquo modo nõ
scintillãdi. ideo venus aliquo modo scintillat ratio
ne distantie temperate ad visum: et aliquo modo
scintillat ratiõe paruitatis disproportionata illi di
stantie. ¶ Intelligendum ꝙ coloratum colore pro
prie dicto in nulla distantia scintillat: quia non ha
bet radios distinctos a sua specie visibili corpus au
tem lucidum: quia habet radios distinctos a specie
visibili in excessiua distãtia scintillat. Deinde opor
tet assignare causam propter quam et maxime de
nocte oculus non percipit radios corporis luminosi
presentati in modica distantia: et in aliqua maiori
distantia percipit illos tanq̃ mobiles iterũ in ma
iori percipit illos tãq̃ immobiles. Dicitur ꝙ in pri
ma distantia species visibilis est fortis: et reflexio
luminis debilis. In secunda distantia econtra spe
cies visibilis est debilis et reflexio fortis. In tertia
vero distantia tam species visibilis q̃ reflexio lu
minis est debilis. quare ⁊c.

¶ Horarum numerus, ⁊ temporis est numeraliter a
planetis. licet horarum diei numerus sit per ascen
sum et descensum signorum. Et dies non est adequa
te. xxiiij. horarum. et ordo dierum non est secundum
ordinem planetarum: licet habitantibus sub equi
noctiali menses sint semper equales non tamen ha

bitantibus alibi.

Capitulum xxvij.

CElum cum sua virtute et intelligentia non solum dat nobis motus et operationes quibus perficimur: et dei potentiam declaramus: sed etiam mensuras eorundem motuum et operationum. vt pura horam diem mensem et annum quibus talium distincte cognoscimus longitudinem et breuitatem. Ideo hec sit prima conclusio. Numerus horarum temporis est numeraliter et denominatiue a planetis. sed numerus horarum diei est ab ortu et ascensu signorum. prima pars declaratur: quia planete sunt. vij. quibus respondent in spe. vij. colores septem sapores. septem metalla. vij. scie liberales. igitur per idem illis respondere videntur. vij. hore: quarum vna est saturni. alia iouis: alia martis: alia solis. et sic deinceps. Secunda pars etiam declaratur nam tempus in quo signum oritur dat nobis horam: sed vnumquodque signum diuiditur in duas partes oppositas. s. in superiorem: et inferiorem: aut in anteriorem et posteriorem: igitur vnumquodque signum facit operationes oppositas et diuersas: et per consequens non potest oriri in vno et eodem tempore: imo debet facere duo opposita tempora et diuersa. vnum in quo ascendat pars anterior que est nobilior: et aliud in quo ascendat pars retro: que duo tempora nos vocamus duas horas. Et quia vnumquodque signum est triginta graduum: ideo tam pars anterior quam posterior est quindecim graduum. igitur quando quindecim gradus fuerint eleuati apud orizonta erit eleuata medietas signi: et habebimus vnam horam. et quando quindecim retro ascenderint erit eleuata tota pars posterior habebimus vnam aliam horam: et per consequens in ascensu vniuscuiusque signi habemus duas horas oppositas: sed signa sunt. xij. igitur hore diei naturalis sunt. xxiiij.

¶ Secunda conclusio. dies non est adequate. xxiiij. horarum: sed aliquantulum plus: probatur: ponendo quod sol sit in primo puncto Arietis de mane super circulum orizontis in principio diei: et patet quod celum circulariter mouebitur supra et subtus. ac etiam ascendet ad orientem vnumquodque signum in duabus horis: et erit regressus primus punctus arietis in. xxiiij. horis sequenti mane in oriente ad circulum orizontis: et non erit adhuc dies: quia sol precise perambulauit. lix. minuta et octo secunda in oriente: qui numerus est ipsius solis in vnaquaque die parum minus vno gradu: igitur oportet quod sol sit quinquaginta nouem minutis: et octo secundis sub terra: in oriente antequam sit dies. et per consequens oportet quod celum voluatur illo toto spacio. s. quinquaginta nouem minutorum et octo secundorum. Et tunc erit sol ad orizonta: et erit completa dies: qua quidem causa tantum plus erit. xxiiij. horis quantum celum tardabit reuolutionem quinquaginta nouem minutorum et octo secundorum: igitur quando sol erit apud meridiem, erunt plus sex horis: et sic in alijs quartis. quod autem dies dicatur esse solum. xxiiij. horarum hoc est propter excessum insensibilem. ¶ Intelligendum quod hec conclusio est posita solum probabiliter ex opinione quorundam ad videndum deductionem: quia potest concedi quod dies est solum. xxiiij. horarum. et in casu isto dicitur quod quando primus punctus arietis erit reuersus ad orizonta: tunc erit ibi sol non per motum proprium quo mouetur in ariete quinquaginta nouem minutis: et octo secundis sed per motum celi quo mouetur per circulum medij celi secantem circulum orizontis in duobus polis: aliter quodlibet signorum daret nobis plusquam duas horas in suo ortu: et ascensu ad orizonta. ¶ Tertia conclusio. licet denominatio et numerus dierum sit denominatiue: et numeraliter a planetis: non tamen ordo dierum est secundum ordinem planetarum. prima pars est nota: quia sicut planete sunt septem: ita dies sunt septem. et sicut planetarum vnus est saturnus: et alius iupiter: et alius mars alius sol. et sic de alijs. ita dierum vnus est dies sabbati: alius dies iouis. alius dies martis: et sic consequenter. Secunda pars etiam est clara. quia saturnus et iuppiter sunt planete immediati: non tamen sunt immediati dies sabbati. et dies iouis: sed mediat dies veneris. similiter iuppiter et mars sunt planete immediati: non tamen sunt dies immediati dies iouis et martis: sed mediat dies mercurij. et ita consequenter de alijs. ¶ Causa autem huius diuersitatis inuestigatur hoc modo. Nam sicut mensis et annus componitur ex septem diebus: ita dies componitur ex septem horis per reiterationem: et dignum est quod planeta qui est dominus prime hore diei denominet ipsam diem: sicut lux denominat lucernam: et caput capillum. Igitur saturnus est dominus prime hore sabbati ex quo dies illa denominatur a saturno. Secunda vero hora est iouis. Tertia martis. Quarta solis: et sic consequenter: ita quod octaua. xv. et. xxij. per iterationem est saturni. Igitur vigesima tertia erit iouis. et vigesimaquarta martis. vbi completur dies: et oportet incipere a capite viginti quatuor horarum procedendo secundum ordinem planetarum: et quia statim post martem sequitur sol: igitur prima hora diei post sabbatum est hora solis. igitur primus dies post diem sabbati debet esse dies dominicus qui est dies solis et sic consequenter numerando prima hora diei post dominicum est hora lune: et per consequens dies ille est dies lune: et sic consequenter. ¶ Ex ista causa conceditur quod dispositio bona vel mala rei generabilis: et corruptibilis est originaliter et indicatiue a mixtione bona vel mala planetarum cum signis: quia res habens principium necessario incipit in aliqua hora alicuius signi: sed signa non possunt facere operationem sine suis planetis: nec econtra: sicut nec corpus sine anima: nec econuerso. igitur si planeta et signum dominentur alicui hore: oportet quod dominentur rei habenti initium in illa hora. Et per consequens si mixtio planete cum signo erit bona vel mala necessario dispositio rei subiecte erit talis.



¶ Quarta conclusio. licet habitantibus sub equinoctiali menses sint semper equales: non tamen habitantibus alibi. prima pars patet: quia illis. signa semper ascendunt eodem modo: et secunda probatur: quia habitantibus in alijs climatibus aliqua signa ascendunt directe: et aliqua tortuose: sed citius pertranseunt signa tortuose ascendentia punctum orizontis quam directe ascendentia. Igitur sol faciens in quolibet signo vnum mensem faciet menses inequales: ita quod stante sole in sex signis tortuose ascendentibus que sunt a principio capricornij, vsque ad finem geminorum menses sunt minores: stante autem, cum alijs sex signis oppositis directe ascendentibus a principio cancri vsque ad finem sagittarij: menses sunt maiores: vnde est aliquis locus in parte septentrionis in quo thaurus qui est ex signis tortuose ascendentibus prius emittit caudam apud orizonta quam caput: ideo habet mensem paruum: et consequenter alia que quasi emittunt simul partem superiorem et inferiorem: conformiter ad predicta dicunt aliqui dies et horas esse inequales: ita quod signa tortuose ascendentia faciunt minores dies: et horas quam signa directe ascendentia: et consequenter menses in quibus signa directe ascendunt.

habent maiores horas. ⁊ maiores dies viginti quatuor horarum: ꝙ menses in quibus signa tortuose ascendunt. Hoc tamen non est necessarium: q᷑ sol facit mensem motu quo mouetur in zodiaco a septentrione in meridiem: et facit diez motu quo mouetur in circulo mediū celi ab oriente in occidens: hoc autē fit a signo moto in oriente super circulum orizontis. ¶ Ex predictis potest assignari causa quare in aliquo tempore anni aurora est maior: ⁊ crepusculū minus. et tempore sibi opposito aurora est minor ⁊ crepusculum maius: q᷑ sol aliquando veniēs de sub terra non directe: sed oblique ascendit ad circulum orizontis: ita ꝙ splendor eius illuminat orizonta supra terram grandi spacio temporis anteꝙ sol sit supra terram: ⁊ propter hoc habemus tunc longum mane siue auroram: ecōtra autem eodem die habemus sero: seu crepusculum paruum: q᷑ sol tunc non oblique ad latus orizontis descendit subtus terram: sed directe modico tempore illuminando terram supra orizonta: ⁊ hoc contingit maxime in vere sole existente in ariete thauro et Gemini. In autūno vero opposito illi sole existente in Libra Scorpione ⁊ Sagittario ipse ascendit directe sursum: et oblique deorsum: ideo tunc est paruum mane ⁊ magnum sero.



¶ Causa autē oīm dictorum est: quia aliquod signum ascendit directe: et aliquod oblique: et quoddam plus et quoddam minus: ꝙto ergo signum ascendit magis oblique tanto ante ortum solis habem⁹ maius mane ⁊ paruum sero: et econtra ꝙto ascendit magis directe tanto habemus mai⁹ mane et maius sero: quoniam signum quod ascendit directe descendit oblique et econtra propter obliquitatem circuli zodiaci: et diuersitatem orizontis: ideo magis oblique ascendit in vno orizonte ꝙ in alio. ¶ Dicatur ergo ꝙ a principio capricornij vsꝙ ad finem geminorum crescit mane ⁊ sero minuitur: econtra autem a principio cancri vsꝙ ad finem sagittarij minuitur mane ⁊ sero augetur. Ita ꝙ a principio capricornij est minus mane: ⁊ continue fit maius vsꝙ ad finem geminorum. In principio vero cancri incipit minui mane vsꝙ ad finem sagittarij: vbi inuenimus post occasum solis maius sero quod eē possit. Et totum quod dictum est posset declarari in sphera quam sapientes fecerunt ad exemplar mundi ⁊c.

¶ Necessario sol facit annos diuersificatos terminans annum in die perfecto cum sex horis plus: qui sol dat nobis annum trecentorum sexagintaquinꝙ dierum completorum cum sex horis.

Capitulum. xxviij.

Nunc de compositione anni ex suis diebus horis ⁊ septimanis est consequenter dicendum. ponendo hāc cōclusionem. Necesse est solem facere annos diuersificatos. probatur. nos inuenimus maximā diuersitatem in omnibus animalibus plantis ⁊ lapidibus riuis fluminibus: montibus ⁊ vallibus: et in omni alia operatione: vt non sit simile vnum alteri absꝙ diuersitate in materia vel forma. per quam operationem cognoscimus et probamus scientiam et potentiam artificis mundi qui est deus altissim⁹ sublimis ⁊ magnus: igitur potestas scientie ⁊ nobilitas primi artificis nō potest per aliud cognosci ꝙ per operationem diuersificatam. in signum huius omnes homines querūt nouitates: ergo necessariuz est solem taliter disponere cursum suum ꝙ faciat dispōnes annorum diuersificatas. ¶ Ex ista conclusione sequitur primo ꝙ sol non potest complete ambulare vno die gradum vnuz: quia si ambularet in die gradum vnum complete non faceret annos diuersificatos: immo inciperet ⁊ finiret annum semꝑ ad vnum ⁊ eundem locum diei. ¶ Secundo sequitur. ꝙ necesse est solem incipere annum ⁊ terminare in die perfecto cum aliquot horis plus. et hoc vt artifex delectetur in operatione variata ⁊ noua que est nobilior. ¶ Secunda conclusio. sol terminat annum in die perfecto cum sex horis plus. Probatur. Cū in celo reperiantur. iiij. anguli ad modum domus rationabiliter debet incipere et finire in angulo. Nō quidem in eodem debet esse principium et finis: quia tunc operatio non esset variata: nec annus diuersificatus: sed in alio scdm ordinē. ita ꝙ si inceptio est in oriēte finis anni erit i meridie. ⁊ sic vltra ꝑ alios angulos. igit̄ semꝑ finis anni erit in die cōpleto cū sex horis plus: q᷑ ab vno angulo ad alium sunt sex hore: sicut ab ortu solis vsꝙ ad meridiem: a meridie vsꝙ ad occasum que est quarta pars celi cum opposita graduum ex quibus contingunt. xv. gradus pro qualibet hora. ¶ Tertia conclusio. sol dat nobis annum trecentorum sexaginta quinꝙ dierum completorum. Probatur. Annus componitur ex quinquagintaduabus septimanis ⁊ vno die. Igitur conclusio vera: patet consequentia: quia numerus conclusionis resultat ex numero antecedentis. prima pars antecedentis sic declaratur. Celum componitur ex tercentis sexaginta gradibus facientibus numerū perfectum: q᷑ iste numerus resultat ex duodecim signis: et quodlibet signum ex tribus faciebus: quarū quelibet componitur ex decem gradibus qui est numerus perfectus. igitur numerus septimanaꝝ anni debet esse ita propinquus huic numero celi: sicut est possibile. igitur septimane sunt quinquaginta vna vel quinquagintadue. patet consequentia: quia quocunꝙ alio numero dato ille esset nimis remotus a numero celi per excessum vel defectum: sed non possunt esse quinquagintavna septimane propter numerum imparez qui est impfectus: et numerus graduū celi est perfectus: sunt igitur quinquagintadue septimane facientes numerum parez: quod erat ꝓbandum. ¶ Secunda pars antecedentis probatur scilicet ꝙ annus componitur ex vno die vltra septimanas quinquagintaduas: quia si non: igitur si annus inciperet die dominico terminaretur die sabbati: et iteruz si inciperet die dominico terminaret̄ die sabbati: quod est falsum: quia annus debet variari propter nobilitatem et potentiam summi artificis: ita ꝙ aliquando incipiat die dominico: et aliquando die lune: et sic consequenter: vt quilibet planeta habeat suum annum: sicut habet suum diem et suam horam. oportet igitur ꝙ annus incipiat ⁊ finiat eodem die: ita ꝙ si incipiat die dominico: finiat die dominico: ⁊ alter annus incipiat die lune: ⁊ si inceperit die lune finiat die lune. et alter incipiat die martis: ⁊ sic per ordinem in alijs. propter quam causam Kalendarium incipit ⁊ finit per a. ergo necessarium est ꝙ annus incipiat in septimana completa ⁊ vno die plus. ergo septimanis. lij. ex quibus componitur annus oportet superaddere vnam diem quod erat ꝓbandū. ¶ Quarta conclusio. sol dat nobis annum trecētorum. lxv. dierū ⁊ sex horarum: prima pars cōclusionis est declarata in alia cōclusiōe: ⁊ secunda probatur: si annus incipit sole existēte in oriente in principio arietis facta reuolutione trecentis. lxv. vicibus in trecentis. lxv. diebus princi-

pium arietis erit in eodem puncto orientis, in quo fuit in principio: neq adhuc erit completus annus: quia deficient sex hore in quibus sol habebit adhuc ambulare quatuordecim minuta: et .xlviij. secunda: et tunc erit completus cursus solis et annus: et erit reuersus sol ad primū punctum arietis non in oriēte sed in angulo medij celi. Et ita consequenter dicatur de alijs angulis celi ꝙ sol incipit cursum suū in vno et finit in alio angulo subsequente pertranseundo quatuordecim minuta: et quadragintaseptē secunda in sex horis qui est numer⁹ illoꝝ minutoꝝ ꝛ secūdoꝝ ab vno angulo ad altum. ¶ Ex predictis sequitur primo ꝙ annus non potest esse trecenti sexagintasex dies: quia aliter non esset ordo annorum ꝑm ordinem dierum septimane: sed si vnus annus inciperet die dominico: alter immediate sequēs inciperet die martis: et alter die iouis: et eodē fundamento non possunt esse dies trecenti sexagintasex in anno: quia tunc si inciperet annus die dominico alter immediate sequens inciperet die mercurij: et alter die sabbati: quod non est dicendum: et ita arguatur de quolibet maiori numero. ¶ Secundo sequitur ꝙ propter istas sex horas variarentur solēnitates et calende principia et fines annorum: nisi quis ingeniose et contra naturam in calēdario preuenerit: ita ꝙ solēnitates que sunt in principio estatis: aliquādo erunt in principio hyemis: et que sunt in principio veris: aliquādo erunt in principio autūni: quia causa sex horaꝝ in quibuslibet quatuor annis ponit in antea vnum diem: ꝛ in cētum annis viginti quinq dies et etiā in mille annis ducētos quinquaginta dies: et sic vltra procedendo indubie variarentur circulariter principia et fines annorum calende ꝛ solēnitates: nisi artificialiter remedium apponerentur: vt autem predicta sint firma retinetur in calendario ex quibuslibet quatuor annis: vnus dies qui vocatur bisextus: quare ꝛc.

¶ Mundus est vnus compositus ex pluribus cōtrarijs: habens virtutem motiuam intrinsecā: plenus spiritibus. Capitulum .xxix.

VLtimo de mundi rectoribus ꝛ motoribus est dicendū ponendo quattuor ꝯclusiones: quaꝝ prima est ista: mundus est vnus ꝛ nō plures. ꝓbatur. Si essent plures mūdi: aut igitur per ꝯtinentiam vel per cōtactum indiuisibilem: non primū: qꝛ si daretur mundus qui orbiculariter cōtineret istū: per idem daretur alius mūdus orbiculariter ꝯtinens istum aliū signatum: ꝛ sic in infinitū: qđ non est dicendū: qꝛ tūc in mouentibus ꝛ motis esset ꝓcedere in infinitū: qđ est reprobatū .vij. phisicoꝝ. non etiā datur alius mundus per contactū indiuisibilem: qꝛ per idem ille haberet alium ꝯtangentē ipsum: ꝛ sic in infinitū. cum non sit maior ratio de vno ꝙ̄ de alio. sed iterū hoc est falsum: qꝛ extra mundū daretur vacuū infinitū: quod est reprobatum .iiij. phisicoꝝ. Deus tamen omnipotēs et infinitus posset contra inclinationem nature facere vacuū: ꝛ infinitos mundos se indiuisibiliter ꝯtingētes. ¶ Ex ista ꝯclusione cum sua ꝓbatione sequitur ꝙ est deuenire ad primū motorem q̄ est vnus ꝛ nō plures. prima pars patet. qꝛ omne qđ mouetur ab alio mouetur. ꝛ nō contingit ꝓcedere in infinitū in mouentibus ꝛ motis. igitur aliquis est primus motor. Secunda pars etiam sequitur: qꝛ ex quo mūdus est tm̄ vnus: ꝛ primū mobile est tm̄ vnū. igitur primus motor est tm̄ vnus. ¶ Scđa ꝯclusio. mūdus est cōpositus ex rebus ꝯtrarijs ꝛ sibi inuicem oppositis. ꝓꝫ: qꝛ non est aliqua res in mundo que non habeat suū oppositum sicut album nigrū/amarū/dulce/pax/guerra/ vnde ꝛ in circulo videmus vnū punctū oppositū alteri: ꝛ vnam partē oppositaꝫ alteri: ita ꝙ quādo vna pars mouetur ad vnam differentiā positionuꝫ: alia mouetur in contrarium: īmo ꝛ in celo secūdum dicta sapientū est oppositio et inimicitia dicētiū ꝙ mars ꝛ iupiter sunt oppositi: et venus inimicatur alteri: qꝛ mars significat guerram: ꝛ iupiter pacem. similiter sol opponitur saturno/ ꝛ venus mercurio. Nec est incōueniens primū motorem qui est deus cum alio habere oppositionem: qꝛ ex quo. primus motor mouet et nō mouetur: ꝛ materia prima mouetur et nō mouet opꝫ primū motorē ꝛ primā materiā inuicem opponi: ex quo mouere ꝛ non mouere: mouere et nō moueri opponūtur. ¶ Ex ista ꝯclusione sequitur ꝙ mundus est originaliter ꝛ cōpleriue cōpositus ex numero pari: qꝛ omnis ꝯtrarietas ꝛ oppositio est inter duo: ꝓpterea elementa sunt quatuor: ex quibus cōponitur mundus: ꝛ sphere celestes sunt octo. Et signa zodiaci sunt duodecim: et figure primi mobilis .xlviij. et poli duo partes mundi .iiij. et epicicli sex: et ꝯsequenter possumus dicere ꝙ stelle animalia plante et minere sunt in numero pari: quia si reperitur aliquod istoꝝ cum vna conditione reperitur habens ꝯditionem oppositam: vt si inuenitur animal habens collum longum etiam inuenitur animal habens collū curtum. Et si inuenitur sphera maxima que sit concaua: scꝫ sphera stellatuꝫ fixarum etiam inueniatur sphera minima nō concaua: scilicet elementuꝫ terre. ¶ Ubi aduertendum terrā esse tante paruitatis ꝙ non est sensibilis respectu magnitudinis celi: sol enim vt dicunt sapientes est centies septuagesies septies ꝛ quarta cuꝫ octaua maior terra: ꝛ alique stellarum fixarum sunt nonagies maiores terra: alique vero sunt septuagintatrib⁹ vicibus maiores terra: et alique .liiij. vicibus: et alique trigintasex vicibus: et vt testatur Alphraganus .xx. cap. libri sui: minima stella que videtur in sphera stellarum fixarum est decē ꝛ octo vicib⁹ maior terra. ¶ Tertia conclusio. Mundus habet virtutem motiuam intrinsecam incorpoream ꝛ inextensam. prima pars declaratur: vnūquodq elementorū est minoris perfectionis ꝙ̄ celū: sed quodlibet elementorum habet motiuam virtutem intra se: ꝛ non extra se: igitur celum habet motiuam virtutem intra se: ꝛ nō extra se: sed illa eadem est virtus motiua mundi: igitur mundus habet virtutem motiuam intrinsecam. prima pars antecedētis est manifesta: ꝙ vnūquodq elementoꝝ essentialiter a celo. minor vero declaratur: quia elementa leuia mouentur sursum propter leuitatē quam habēt in se: ꝛ grauia mouentur deorsuꝫ ꝓpter grauitatē quā habēt in se: sicut ignis calefacit per caliditatē intrinsecam sibi: ꝛ aqua frigefacit per frigiditatem intrinsecam sibi: et aer humefacit per humiditatē intrinsecam sibi: ꝛ terra desiccat per siccitatem intrinsecā sibi. ¶ Secunda pars conclusionis declaratur: scilꝫ ꝙ virtus motiua mundi est incorporea ꝛ inextensa Nam in mundo nihil reperitur sine suo opposito sed aliquid mouetur per virtutem corpoream ꝛ extensam: vt quodlibet elementorū: ergo aliquid mouetur per virtutem incorpoream ꝛ inextensam: scilꝫ celi propter suam nobilitateꝫ: sed virtus motiua celi est virtus motiua mundi: igitur ꝛc. ¶ Ex ista cōclusione cum sua probatione sequitur ꝙ primus motor non mouetur per se vel per accidens: nec est intrinsecus mundo per informationē vel per inherētiam: sed per solam presentiā ꝛ indistantiā. probatur. Aliquid mouetur per se ꝛ per accidens: vt homo ambulans in naui mota: igitur aliquid nec per se nec per accidēs mouetur: scilicet primus motor propter suam maximā nobilitatem. Item aliqua forma inheret ꝛ informat: vt forma mieti vel elementi: ergo aliqua nec informat: nec inheret: sed solum presentialiter adest: vt forma celi: et consequenter mundi qui dicitur primus motor. ¶ Quarta cōclusio. Mūdus est plenus spiritibus a corporibus absolutis: probatur: aliqua in mundo generantur et corrumpuntur habentia formam et materiā grossam non

potentem pertransire dura: que sunt ita tardi motus ꝙ in longissimis temporibus non possent ire ab uno capite mundi vsqꝫ ad aliud: nec possent transfigurari in aliam figuram: aut recipere omnem figuram quam volunt: nec possunt inuisibiliter ambulare: nec habent scientiam: aut si habent illa est modica: sic ꝙ non cognoscunt tempora ⁊ futura contingentia: neqꝫ habent ordinem in situ: sed habitant modo equaliter in plano: modo inequaliter in plano ⁊ in monte: sed quelibet res mundi propter maiorem operationem ⁊ cognoscibilitatē habet suum oppositum: vt dictum est: igitur in mundo sunt alia ingenerabilia ⁊ incorruptibilia non habentia formam vel materiam aut figuram potentia ratione sue subtilitatis pertrāsire corpus durum: sicut est mons vel ferrum: ⁊ transfigurari recipiendo omnē figuram: et tante velocitatis ꝙ subito possunt pertransire totam longitudinem mundi: et sunt inuisibilia habentia omnem scientiam ⁊ omnem cognitionem temporis ⁊ futurorū contingentiū: ac etiam ordinem essentialem inuicem prioritatis ⁊ posterioritatis. isti autem dicuntur spiritus aut intelligentie: quarum vna est altera perfectior essentialiter. Et quia totus mundus nobilior est: si a multis ⁊ variatis habitatoribus totus inhabitetur: ideo rationabile est aliquos ex istis spiritibus habitare spheram terre: et aliquos spheram aque: ⁊ aliquos spheram aeris: et aliquos spheram ignis: et aliquos spheram lune. et sic consequenter vsqꝫ ad spheram signorum. Et sm ꝙ vna sphera est altera perfectior: ita spiritus vnius erunt spiritibus alterius sphere nobiliores: immo spiritus spherarum elementorū dicuntur absolute spiritus: sed spiritus spherarum celestium dicuntur intelligentie: propter suam nobilitatem ⁊ modum mirabilem intelligendi. ¶ Ex ista conclusione ⁊ sua probatione sequitur ꝙ spiritus habitantes in sphera saturni sunt de natura saturni: ⁊ habitantes in sphera iouis vel martis sunt de natura illius: et sic de omnibus. Ideo aliqui sapiētes volentes facere operationē guerre/odij vel prelij conuocabant spiritus martis: sm ꝙ est positum ⁊ scriptum per eos: ponunt enim maximum prelium cum interfectione gentis peditum ⁊ equitum inter quos erant spiritus parui in modum puerorum euntes ⁊ volantes in auxilium partis victricis: et mars stabat superius in vna rota veluti dominus: que rota a duobus spiritibus lateraliter sustinebatur: in qua sedēs ipse mars prelium delectabiliter inspiciebat: et quando volebant facere operationem contrariā isti sicut pacis ⁊ concordie conuocabant spiritus iouis. Volentes autem facere operationem amoris et luxurie conuocabant spiritus veneris: et sic de aliis sm operationem quam facere volebant. ¶ Notandum ꝙ intelligentie sunt proprie virtutes motrices orbium nunqꝫ mutātes locum vel situm: spiritus autem proprie sunt virtutes mobiles ad omnem differentiam positionis tam cum assumpto corpore: qui quidem spiritus sunt ministri intelligentiarum in toto mundo in celo ⁊ in terra ad omnem operationē faciendam: vt ostendatur potentia altissimi qui celum fecit ⁊ terram. Nec indignetur anim⁹ legentis: si huius libelli cōclusionaliter dicta non sunt demōstratiue: et rationibus naturalibus roborata: quia non solum ad vtilitatem speculatiuorum: sed etiam aliorū hec narranda et scribenda decreui in nomine illi⁹ qui in trinitate perfecta viuit ⁊ regnat per eterna seculorum secula. Amen.

¶ Explicit liber de compositione mundi.

Incipit tabula huius libri.

duodecim spheras. Caput.xvj.

¶Motus signorum zodiaci fit ab oriente in occidens: ceterorum vero opposito fit modo: quorum motus non retardant motuz octaue sphere: ⁊ ad omnium spherarum motus aer ⁊ ignis mouetur ab oriēte in occidens. Caput.xvij.

¶Sub septentrione terra est aquis discooperta: que plana in aliqua parte reperitur: que habitabilis habet esse per mixtionem aquarum supra ⁊ infra spham que aque a mediterraneo mari ortum habēt ⁊ recursum. Caput.xviij.

¶Mare mediterraneum transit per longitudinem terre: quod mare ab occidente in oriens est incipiēs ab oceano Et aque tam montium ꝙ planicierum a magno vel mediterraneo sunt mari: ⁊ ideo terra cooperta aquis est impossibile habitari. Caput.xix.

¶Terra habitabilis congrue est diuisa in septem climata: que diuisa sunt in oriente in occidens per longitudinem habētia initium ⁊ numerationem ab equatore ad septentrionem: quorum maius hic dicitur aliis qd immediatius est equatori. Caput.xx.

¶Inductio forme in materia essentialiter depēdet a virtute celi sine qua impossibilis est elementorum mixtio. Et quodlibet ex illis genitum a tali virtute dirigitur: ac etiam terre dispositio bona vel mala fit ratione illius directiui. Caput.xxj.

¶Necesse est aliquam mineram alicuius esse coloris ⁊ aliquam diuersorum: quia in diuersis fiunt locis. Plante quoqꝫ nedum substantialiter: verumetiam accidentaliter est opus distingui: in fructibus talium: si qua saporum: aut colorꝫ est diuersitas huius reicelli causa est. Ca.xxij.

¶Specifica animalium distinctio a specifica partium celi distinctione oritur. Et animalis partium diuersitas ex diuersitate partium signorum celi: colorꝫ in animalibus est per conninctionem planetarum: licet diuersitas partium in animalibus fit ex diuersitate partium celi. Capitulum.xxiij.

¶Caliditas solis causa est exhalationis leuis calide ⁊ sicce in ventre terre. Et calida et sicca exhalatio existens in ventre terre est causa materialis terremotuum: et eadem est causa ventorum atqꝫ tonitruum. Caput.xxiiij.

¶Necessario aer diuiditur in tres regiones: in infima ros: pruina et nix liquida generantur. In media vero pluuia / nix et grando: impressiones tamen aquee non ex elementis principaliter: sed ex virtute celi sunt. Caput.xxv.

¶Motus celi est localis sine sono: quod celum est quantum sine augmento ⁊ diminutione: habens lucidatatem sine colore proprie dicto: cuius stelle oēs sphericе sunt. Caput.xxvj.

¶Horarum numerus ⁊ temporis est numeraliter a planetis: licet horarum dici numerus sit per ascensum ⁊ descensum signorū. Et dies non est adequate.xxiiij horarum: et ordo dierum non est sm ordinem planetarum: licet habitantibus sub equinoctiali menses sint semper equales: non tamen habitantibus aliis. Caput.xxvij.

¶Necessario sol facit annos bisextificatos terminans annū in die perfecto cum sex horis plus: quia sol dat nobis annum trecentorum sexaginta quinqꝫ dierum completorum cum sex horis. Caput.xxviij.

¶Mundus est vnus compositus ex pluribus contrariis: habens virtutem motiuam intrinsecam: plenus spiritibus. Caput.xxix.

¶Finis tabule.

Baptiste Bēmati Cesenatis ad lectorem Epigramma.

¶Ingenio quicunqꝫ vales: abstrusaqꝫ queris
Noscere: diuinum hoc perlege semper opus.
Preclarum Veneti ingenium mirabere Pauli:
Augustine aluit quem tua secta pater.
Hinc tibi forma manet que mundi: doctus abibis:
Ut petat occiduas sol quoqꝫ raptus aquas.
Hinc poteris Jonas: et sphere discere circos:
Omnia dictabit que ratione tibi.
Paucis accipies quod multis non daret alter:
Clara tamen paruus multa libellus habet.

Jacobus baptista Aloyrianus Rauennas Alberto pio carpensi principi Salutem. P.D.

Eges hanc Alberte pŕnceps clarissime opis huius miram breuitatē: que nisi opinione fallor: cum reliqua lectione quam tibi cognoscendam proposui facit equilibrium. Estqꝫ id ex eadem Veneti pauli officina tibi opus depromptum: verū maiore industria elaboratū maioreqꝫ eruditiōe. Enimuero omniuz hic celestium signorum: segmentorūqꝫ omnium figuratio et quasi Typus quidam perspicitur: hic ortus ⁊ occasus syderum ac celi conuersiones / cum ipsa ventorum imbrium ceterarūqꝫ tempestatuz ratione: et vt in arctum omnia conijciam: hic totum nature opificium contemplari est: sed tua industria que in re literaria supra ꝙ dici possit eminet: multo melius hec per ocium pensitabit. Uale.

¶Hic finem accipit aureum opus de compositione mundi: a Paulo veneto omnium hominum doctorꝫ sui temporis facile principe conditum: nuperrime summa diligentia castigatū: Lugduniqꝫ impressum in edibus honesti viri Antony du Ry c-lcographi admodum diligentis Anno a redemptione humana. Millesimo quingentesimo vigesimoquinto. Die decimaseptima mensis Nouembris.

Regestum.

A/B/C/D. Omnes sunt duerni preter D qui est ternio.


SANCTA
SALVE
FACIES
Simon Vincentius.